

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGIJ
DE SACRAMENTIS

Disputatio Decima sexta

DE

MISSA.

Quam

Annuentè J E H O V A

SUB PRÆSIDIO

Dr. BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Theol. D. & P.P. Magnifici p.t.

RECTORIS.

In Collegio privato examinandam

proponit

M. CHRISTIANUS ZIMMERMAN

Dresdensis Misnicus.

*Clarebitur ad d. 3. Decemb. horis pomeridianis
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,

ANNO MDCCXX.

COLLEGIUM
DE JACOBINIS

Disputatio de

de

MISERIA

ANNUNCIO J. H. V. A.

1710

Dr. BALTHASARIS MESSNERI

in Collegio Jacobinis

disputatio

de Miseria

1710

Dr. CHRISTIANUS MERRMAN

in Collegio Jacobinis

disputatio de Miseria

1710

1710


1710

1710

1710

Cum Missa Babylon statque
ceditque sua.

THESIS I.

 U M Missa Regni Antichristi, si non unicum, tamen maximum fulcrum, & precipua sit columna, supra quam omnes reliqui errores Pontificij superstructi, quiescunt, ita ut stante hac omnes ferme abominations Papales una cum universa Monachorum colluvie, & integra Clericorum opulentia stare & conservari queant, operam adhibebimus sedulam, ut columnam istam missaticam verbo Dei [quod ea non minus ac lignum fermiculos perferre queat] tanquam Simsonicis brachiis frangere, & omnes superstructas abominations destruere possimus.

I I. Priusquam verò hoc fiat; Missa quid sit, ut sciamus necessitas postulare videtur; destruere enim rem, & res quid sit nescire, esset cum claudo de cursu & cum ceco de colore discurrere.

III. Rem autem hanc nobis optimè notam facere potest definitio, que in omni tractatione primas sibi vendicat, ex Aristotelis I. M. M. c. I.

IV. Duplex autem ea; Nominis, & Rei. Nam e re est, priusquam ad rem ipsam perveniamus, pauca de significatione referre. Scal: Exercit: 359. f. I.

V. Nominis definitio in se continet tum Etymologiam tum Homonymiam.

VI. Etymologiam Misse quod attinet, Papicole in diversas opiniones de ea abeunt, de quibus vide Dn. D. Præfidis part. 2. Philosoph. Sobr. Sect. I. c. I. quæst. 16.

VII. Quidam censent vocabulum Missæ esse hebraicum, & hi diversimodè. Quidam verò statuunt, vocem esse latinam, & hi vicissim diversimodè. Ex quibus apparet mira Pontificiorum dissensio, qui nondum de origine vocis qua idolum suum appellitant, certi quid scire possunt.

IX. Illorum, qui hebraicam hujus vocabuli originem querunt, 1. Quidam deducunt ab מִשָּׁעַ facere, interdum etiam sacrificare, unde מִשָּׁעַ opus seu sacrificium, quod tamen cum Missæ vocabulo tanquam pugnis cum oculo convenire manifestum est.

IX. 2. Quidam derivant à מִזְבֵּחַ quæ vox altare significat; hos autem refutat Philippus in Apologia, cum nulla sit convenientia vocabuli Missæ & מִזְבֵּחַ.

X. 3. Quidam deducunt à סָדָה tributum, unde סָדָה oblatio voluntaria, Deut. 16, 10. ubi tamen, uti Pagninus monet vox סָדָה non significat oblationem, sed sufficientiam, hoc est, pro ut ferunt cujusq; facultates, quod etiam confirmant sequentia verba illius loci.

XI. At si Pontificiis ita turpiter & inconvenienter Missam suam derivare licitum sit, quid prohibet quin nos convenientius etymon proferamus Missamq; Pontificiam à מִשָּׁעַ portare, ut sit Missa quasi מִשָּׁעַ onus, derivemus: nullum enim gravius unquam Ecclesie onus fuit impositum, ad obruendam fidem, & fructum mortis Christi sepeliendum, quam Missarum nundinatio.

XII. Verum omnium horum sententiam qui vocabulum Missæ hebraicum esse censent, [quam tamen etiam ipse Bellarminus rejicit] nec credibilem nec probabilem esse ex sequentibus patere potest.

XIII.

XIII. 1. Quia eo tempore quo nomen Missae in usum venit, rara fuit etiam inter doctos hebraeae linguae cognitio, ut ex scriptis illorum temporum facile deprehenditur.

XIV. 2. Quia Origenes, Hieronymus & alij hebraeae linguae periti, Missae nomine in scriptis suis non utuntur.

XV. 3. Si vox illa hebraica fuisset Apostolis in usu, utiq; retinuissent eam & Graeci & Syri, quemadmodum retinuerunt alias E. G. Alleluja, Amen, Sebaoth &c. At verò apud Graecos nulla fit mentio Missae sed pro ea dicunt λει-
τηργία, & Syri pro Missa dicunt ܠܘܨܝܦܐ sanctum.

XVI. Adde 4. quod etymologiae istae sint admodum du-
rae, inconuenientes & nimis longe petitae etiam sine ulla pro-
babili ratione assertae.

XVII. Horum verò qui Missae nomen latinum esse
censent, 1. Quidam dici volunt Missam quod oblatio & pre-
ces ad Deum mittantur, & vicissim Angelus à Deo mittatur,
qui sacrificio adsistat & illud ad Deum deferat; Hugo libr. 2. de Sacram.
pag. 8. c. ultim. Durandus libr. 4. Rational. Rubrica. 1. circa fin.
Thomas part. 3. quæst. 83. art. 4.

XVIII. 2. Quidam Missam à Christo ita nuncupatam
autumant, quia ille sit hostia nobis è caelo missa, & ad pa-
trem pro salute populi remissa, quam derivationem Tho-
mas approbat l. d. in fine.

XIX. 3. Quidam Missam à mittendis & conferendis
in medium muneribus, quæ in usum Eucharistiae, & susten-
tationem pauperum ac Ministrorum Ecclesiae cedebant, di-
ctam esse, putant. Ea enim non solum à presentibus offere-
bantur sed etiam ab illis qui aberant mittebantur in illa
vasa quæ à Diaconis portabantur. Ut igitur tota illa actio

αὐτὴν Græcis, ita Latinis Missa σὺν εὐδοχίᾳ dicta
fuit.

XX. 4. Alij Missam à missione sive dimissione dictam
esse censent, ita ut Missa idem sit quod missio, sicut idem fuit
apud veteres collecta & collectio, peccati remissa & remissio,
quam derivationem probabilissimam appellat Bellarmi-
nus, Et inculcat quoq; eam Polydorus Virgilius libr. 5.
c. 12. p. 455. edit. Francof. in 12. Ann: 1599. qui Missæ
vocabulum ex præscorum Institutis desumptum putat, Apu-
leij allegans testimonium, apud quem ἑκαμπατεὺς περα-
τέλις sacris Isidis renunciat, λαῶν ἀφεσις, id est, populis
missio, quam derivationem cum nihil patrocinetur sacrifi-
cio Papali facile concedere possumus.

XXI. 5. Addunt quidam hanc etymologiam allusivam,
& derivant Missam Christianam, & legitimam, [hoc
est sacra Cœna, juxta Christi institutionem celebratio-
nem, quo sensu Apol: Augusta: Confession: hoc nomine uti-
tur] à remissione peccatorum, quæ annunciatur credenti-
bus communicantibus. Missam verò Pontificiam à divi-
næ institutionis omissione, atq; à nundinatione sacrificulo-
rum, & populi multitudine qualis esse solet in nundinis, quas
Germanici vocant, **Mess/ oder Jahrmarcht.**

XXII. Ceterum quicquid sit de notatione nominis,
sive Missa ab offerendis precibus, sive à mittendis muneribus,
sive à dimissione populi dicatur, non est quod litem movea-
mus, modo non Papale sacrificium scripturis & antiquitatibus
penitus ignotum sub eo tacite occultetur.

XXIII. Sequitur homonymia & significatio vo-
cabuli Missæ de qua recenset Bellarminus imprimis cap. 1.
quinq; sequentes significaciones.

XXIV.

XXIV. 1. Ait simpliciter accipi pro Missione, ut quando dicitur, *ite, missa est.*

XXV. 2. Pro divino officio precum lectionum, & similiarum exercitiorum, quæ celebrantur in Ecclesia ante dimissionem Catechumenorum, quas duas significationes, quia in scriptoribus reperiuntur facile largiri possumus.

XXVI. 3. Pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab offertorio usq; ad finem, quæ propriè dicatur Missa fidelium, teste Alcuino & Ambrosio libr. 5. Epistol. 33. quam etiam significationem, [modo ne falsa admisceatur, & sub antiquo nomine & more offertoriij patrocinium queratur sacrificio Missatico, de quo verba facere Ambrosio nunquam in mentem venit, sed quæ loco citato ab ipso dicuntur de muneribus & primitiis frugum à populo ad declarandam Deo gratitudinem & pauperes sustentandos, ad Altare oblati, intelligenda sunt] facilius ipsis liberam relinquimus.

XXVII. 4. Pro tota celebratione divini officij, in qua Eucharistia consecratur, ubi si notetur sola cœnæ celebratio & missaticum sacrificium non immisceatur acceptionem non inficiamur.

XXVIII. 5. Pro ipsis collectis sive precibus, quæ dicuntur in Liturgia, quam significationem cum bene frequens & inter nos penitus inveterata, nos non respicimus. Atq; hæc de definitione nominis.

XXIX. Rei nunc ponenda definitio, quæ ex scriptis Pontificiorum verbis sequentibus absolvi potest: Missa est sacrificium verè propitiatorium, in quo Christus sub visibilibus signis, Deo patri per

Sacerdotes quotidie in altari sed incurventè,
non solum pro fidelium vivorum peccatis,
pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitati-
bus, sed & pro defunctis, in Christo nondum
ad plenum purgatis immolatur, & offertur.
Concil. Trid. Sess. 6. c. 1. 2. 3. Gregor. de Valent. libr. 1. de Mis-
sa c. 1. 5. Bellarminus libr. 2. c. 1. 2.

XXX. Hæc definitio jam nunc totum ædificium Mis-
saticum satis clarè describit, & ob oculos ponit; ubi meri-
tò definitionis genus, differentia specifica, ut & causa
finalis una cum argumentis & rationibus [à V. T. figu-
ris, vaticiniis, testimoniis Evangelicis, à duobus Scripturæ
dictis scilicet: Act. 13, 2. & 1. Cor. 10, 18. 21. à ratione &
patribus &c: desumptis] quibus idolum suum Missaticum
corroborare conantur, probe examinanda & specialiter re-
futanda essent.

XXXI. Verum quia hoc nimis prolixum foret, ita ut
ingens chartarum numerus vix hanc ad rem sufficeret, mo-
net nos nostræ chartulæ angustia, ut ea omnia specialiter
examinanda jam omittamus, & Lectorem ea desideran-
tem ad Praelectiones, Sacramentales Dn. D. Præsi-
dis, ad D. Georgij Majoris libellum de Missa Witte-
berg. edit. anno 1551. ad Heerbrandi Tractat. de
Missâ, ad Dn. D. Chemnitij Exam. Concil. Trident.
part. 2. ad Dn. D. Hütteri libros duos de Missâ &c:
ablegemus.

XXXII. Nos verò hoc loco, cum impudentes sacrifi-
cials per suum Missæ idolum valde absurdi, admodum abo-
minabiles, & per quam blasphemii in Christum Salvato-
rem nostrum fiunt. Missam totam, tanquam pigmentum
meste

merè humanum, non dicam diabolicum, sequentibus ratio-
nibus & argumentis generaliter rejicimus.

XXXIII. 1. A silentio Scripturæ: Omnis
cultus, extra verbum, & sine verbo Dei, & quidem talis
cui tribuitur propitiatio pro peccatis, placatio offensi DEI,
& impetratio gratiæ, ut & aliorum beneficiorum à Deo:
vanus est, & Deo placere non potest, imò idololatria est.
Atque theatra repræsentatio per verba, ornamenta, ritus,
gestus, actus &c: sicut in Pontificia Missa fit, nullum habet
verbi testimonium. Ergo est cultus vanus, Deo non placens
& idololatricus.

XXXIV. Major probatur dictis Scripturæ: Ezech.
20.v.18. Matth. 15.v.9. Et nota est regula Patrum: Quid
Scriptura tacet tacendo negat, nimirum quo ad arti-
culos fidei & cultum Dei, siquidem omnia credenda & fa-
cienda perfecte continentur in verbo scripto 2. Tim. 6, 16.
Quicquid igitur scriptum non est, id nec credendum nec
faciendum in articulis fidei.

XXXV. Unde patet exceptionem Bellarmini plane
nullam esse, quando libr. 1. de Missa c. 24. scribit, ex scri-
pturis non duci argumenta negativa, sed satis esse si
aliquid in scripturis non negetur aut prohibeatur.

XXXVI. Minor certa est, quia 1. Scripturis & res &
vox ita ignota, ut etiam nec verbum, nec litera, aut apex
unicus de Missa Pontificia legatur.

XXXVII. 2. Christus non jussit in Institutione Cæ-
næ offerre corpus & sanguinem suum, sed manducare &
bibere.

XXXVIII. 3. Quia Christus non Deum Patrem sed
suos discipulos allocutus est, non sese Patri immolavit, sed
suis discipulis corpus manducandum & sanguinem suum bi-

A. S.

benedicere.

bendum dedit. Si enim in Cœna se Patri Christus obtulisset, tunc non semel & unica oblatione, [Hebr. 7. v. 27. c. 9. v. 12. c. 10. v. 10.] sacrificium suum perfecisset, sed bis & duplici oblatione; semel videlicet in Cœna, & semel in cruce, quod est falsum & absurdum.

XXXIX. 4. Paulus à Domino accepit repetitionem Institutionis Eucharistiae, at nullius omnino meminit sacrificij; quod Apostolus [praesertim qui se omne consilium DEI aperuisse gloriatur Act. 20. vers. 20.] certe non omisisset, si ulla propitiatorij sacrificij ratio Cœna subesset.

XL. 5. Quia commemorare nos jubet Paulus mortem Domini non representare theatro spectaculo, non sacrificare, I. Cor. 11. Annunciare autem mortem Domini & sacrificare, toto genere diversa sunt.

XLI. Hisce omnibus manifestè affirmantibus & probantibus de Missa Pontificia nihil quicquam in sacris reperiri, summus amicus & fautor Missatici sacrificij, Bellarminus (quia forte ejus crumena non raro magnificè profuit) valde perterritus & ita perturbatus fuit, ut ore perturbato & impudenti, absurdum impudens & contra omnium Logicorum Canones, postulatum protulerit, quando scribit, Certum aliquod testimonium Scripturae à nobis esse afferendum, ubi legatur Christum se non obtulisse in Cœna; cum tamen non neganti sed affirmanti incumbat probatio. Nos negamus, & Missam ab certis rationes rejicimus. Bellarminus affirmat, ideoque ipsi etiam ut affirmanti res erit probanda.

XLII. β. A pugna cum Scriptura: Omne dogma quod Scripturae è diametro opponitur illud est falsum.

sum & rejiciendum. Atqui dogma de Missa Pontificia
Scriptura ita opponitur. Ergo est falsum & rejicien-
dum.

XLIII. Major patet, & luce meridiana clarior est,
siquidem Scriptura ipsa veritas, imò unica norma & regu-
la secundum quam omnia dogmata, omnesq; Doctores esti-
mari & judicari oportet. Psal. 119. v. 105. Galat. 1. v. 8.
Qui igitur sese huic opponit, veritati, imò ipsi judici se op-
ponit.

XLIV. Minor probatur. 1. Quia Missifices dicant
Missam esse sacrificium verè propitiatorium per quod appli-
cetur fructus passionis CHRISTI: Scriptura vero passim
dicit & docet. CHRISTUM esse unicum sacrificium pro-
pitiatorium, qui semel ad multorum peccata exhau-
rienda oblatus est, qui semel per proprium sangui-
nem introivit in sancta aeterna redemptione reper-
ta, Hebr. 9, 12. 18. & c. 7, 27. & c. 10, 10. 1. Petr. 3, 18.
Nullum etiam salutis medium aliud esse, quam ex parte
Dei, verbum & Sacramenta, ex parte nostra, quam fidem
apprehendentem, qua sola nobis applicamus meritum Chri-
sti perfectissimum, atq; ita salvamur.

XLV. 2. Pontificia Missa multos habet Sacerdo-
tes & sacrificulos; sacra Scriptura vero unicum duntaxat
novit & habet Novi Testamenti Sacerdotè, videlicet Chri-
stum 1. Tim. 2, 5. Ebr. 5, 5. 6. cum primis c. 7. v. 23. 24. In
Veteri Testamento quidem erant plures Sacerdotes, eò quod
mors prohibebat eos manere, In Nov. Test. autem est unus
qui in aeternum non moritur. Abeant ergo sacrificuli Pa-
pales qui manente Sacerdote hoc unico, Sacerdotes Novi
Testamenti esse nequeunt.

XLVI.

XLVI. Neq̄ hic valet quicquam Exceptio Bellarmi-
ni lib. I. c. 15. quando dicit, In N. T. quidem esse unum
Sacerdotem summum & primarium, sed multos et-
iam esse ministeriales & secundarios, illū esse Chri-
stum, hos esse sacrificulos, inter quos nulla fit op-
positio, sed tantum subordinatio, sicuti Christus
sit unus Magister, & interim tamen dentur plures.

XLVII. Resp. enim nos non ignorare sed hoc ipsum
affirmare & ipsi opponere quod Christus sit unicus & sum-
mus N. T. Sacerdos, quod autem post illum multi sint se-
cundarij, non solum ipsi dicendum sed & probandum est.
De Magistris quidem legimus in sacris, sed de Missificis
nullibi & adhuc usq̄ diem vocationem suam ostendere ex-
scripturis non potuerunt.

XLVIII. Nos potius urgemus oppositionem ipsius Apo-
stoli qui Sacerdotes plures Christo non subordinat, sed Chri-
stum Sacerdotem unum pluribus opponit, immortalē mor-
talibus, nec ullam multiplicationem Sacerdotum concedit;
Imo Veteris Testamenti quoq̄ Sacerdotes respectu Christi
secundarij dici possunt, & tamen nec illis Christo exhibito
locum amplius relinquit Apostolus Ebr. 7, 23. 24.

XLIX. Praeterea si haec staret Bellarminiana exce-
ptio everteretur sanè tota sacrificij Christi natura, quae est
quod à solo suo Sacerdote Christo semel tantum fieri de-
buerit ac potuerit. Ebr. 7, 27. c. 9, II. 14.

L. 3. Sacrificuli dicunt Christum saepe imo saepissi-
mo & quotidie esse Patri suo caelesti, in Missa, ad reconci-
lianda hominum tam vivorum quam mortuorum peccata,
offerendum. Sacra Scriptura verò dicit, Christus semel
in Ara crucis oblatus est, mortuus est. Roman. 6, 10.
Christus semel mortuus est, L. Petr. 3, 18. Semel pas-
sus

us est. Ebr. 9. 12. Semel introivit, vers. 26. Semel in
consummatione seculorum apparuit, vers. 28. Se-
mel oblatus est, ideoque non habet necessitatem
quotidiè offerri, hoc enim fecit semel se offerendo,
Ebr. 7, 26. 27. &c.

L I. Cum igitur semel tantum facta Christi oblatio,
utiq; non erit iteranda in Missa, & cum sola Christi obla-
tio sit propitiatoria, certè Missa non erit sacrificium propi-
tatorium, hæc enim pugnant, oblatio unica, non uni-
ca, semelfacta, non semelfacta sed quotidie facien-
da, sola propitiatoria, non sola, sed una cum Missa
& per Missam propitiatoria, &c.

L II. Ex ejusmodi contradictionibus se extricare stu-
det Bellarminus quibusdam fictis & futilibus distinctionibus
quas profert, quando scribit distinguendum necessario esse.
1. inter oblationem primariam & commemorati-
vam, seu repræsentativam, de illa loqui Apostolum
hanc fieri in Missa. 2. Inter immolationem cruen-
tam & incruentam, illam esse unicam, hanc sæpius
in Missa iterari.

L III. Sed petit principium Bellarminus nec probat
quod dicit, quia scriptura nihil novit de oblatione comme-
morativa vel missatica, nec illa gemina sed unius tantum
oblationis meminit.

L IV. Deinde etiam oblatio incruenta est merum fi-
gmentum Iesuiticum, nullum habens fundamentum in
scriptura, imò parit contradictionem in Adjecto, sacrificium
propitiatorium esse & incruentum esse, quod enim immola-
tur pro peccatis, illius sanguis fundendus est, quia sine san-
guinis effusione nulla fit remissio peccatorum, Ebr.
9. 22. Et Bellarminus fatetur ipse libr. 1. c. 2. quod in
vero

vero sacrificio requiratur destructio hostiae, quod tamen in Missa non fit.

L V. Pergit excipere Bellarminus & dicit cruentum & incruentum sacrificium re ipsa unum esse quia utrobiq; immoletur corpus Domini.

L V I. At nos respondemus quod non: siquidem differunt varie & 1. quidem efficiente, quia CHRISTUS se ipsum in cruce; In Missa vero Sacerdotes eum offerunt. 2. forma modoque offerendi, quia ibi sanguis effusus, Christusq; mortuus est, hic sine effusione sanguinis offerri putatur, cruentum autem & incruentum realem differentiam innuunt. 3. fine & effectu; quia sacrificium crucis vere fuit meritorium & satisfactorium, sacrificium vero Missae juxta eos proprie solum est impetratorium. Valor illius est infinitus, valor hujus dicitur finitus. 4. Tempore & numero: Illud oblatum est semel tempore passionis & mortis CHRISTI, hoc dicitur in Ecclesia quotidie offerri.

L V I I. Instat ulterius distinguendo Bellarminus inter reconciliationem per sacrificium crucis factam, & applicationem per sacrificium Missae faciendam.

L I I X. Verum hac ipsa instantia sibi ipsi contradicit, & totam Missam Pontificiam valde suspectam reddit; si enim in Missa tantum fit applicatio propitiatorij sacrificij, utiq; non erit Missa ipsa sacrificium propitiatorium, quia rei applicatio non est res ipsa.

L I X. 2. Resp. Sacram Scripturam omnia media, per quae applicandum nobis meritum Christi, scilicet verbum & Sacramenta, ratione Dei, & solam fidem, ratione nostri, 1. Corinth. 5. vers. 18. 21. prescripsisse, ne ullibi au-

tene

tem mentionem Missæ fecisse, quam igitur merito etiam ut
medium à Deo non ordinatum & scriptura ignotum relin-
quimus.

LX. γ. A natura Testamenti: Omne testa-
mentum firmum & inviolatum manere debet, ita quidem
ut nemo illi superordinare quid possit & debet. Gen. 3. v. 15.
Atqui Cœna Domini est Testamentum, Matth. 26. v. 28.
Marc. 14. v. 24. Ergo. Inde ulterius ita: Quicumq; ali-
quid super ordinat vel addit sacræ Domini Cœnæ ille violat
sacrum CHRISTI Testamentum. Sed Missa Pontificia
nihil est aliud quam talis superordinatio & additio huma-
na. Siquidem in ipsis Testamenti verbis nihil de ea habetur.
Ergo.

LXI. Negat hic Bellarminus minorem libr. 1. c. 26.
dicens, Missam tantum esse frequentationem ejus rei
quam CHRISTUS moriturus frequentari manda-
vit, quando dixit: Hoc facite.

LXII. Sed numne hoc sit turpissime principium pete-
re, & id affirmare, quod in æternum impudens Iesuita pro-
bare non potest, cuiuslibet sanæ mentis iudicio relinquimus.
Hoc enim Christus mandavit, ut ejus commemoratione
instituiamus in Cœna; quod verò id fieri debet in Missa aut
per Missam penitus falsum est, sed fieri debet in ipso man-
dicationis & bibitionis actu declarante Apostolo 1. Cor. 11.
vers. 25.

LXIII. Deinde sibi ipsi Iesuita iterum manifeste con-
trarius est, si enim secundum ejus sententiam in Missa tan-
tum fieri debet sacrificij semel peracti commemoratio, utiq;
non potest ipsa esse sacrificium: quia aliud est res, & aliud
rei commemoratio.

LXIV.


LXIV. *§. A natura Sacrificij. In omni vero & propitiatorio sacrificio requiritur, 1. Expressa ordinatio & promissio Dei: 2. Victima visibilis. 3. quæ debet destrui & mactari, 4. cujus sanguis debet fundi, sine quo alias nulla remissio peccatorum. Ebr. 9. vers. 22. Atqui in Missa Papali hæc omnia desunt: siquidem 1. mandatum & promissam nullum habent, 2. Victima ipsorum est invisibilis, quia corpus & sanguis Dei non videtur, 3. deest sanguinis effusio, Christus enim iterum mactari, & sanguis ejus denuo effundi nequit, quia illi mors non dominatur amplius Rom. 6. v. 9. Missa igitur non est sacrificium proprie dictum, quod erat demonstrandum.*


LXV. *Possemus his argumentis addere plura quæ omnia satis potenter Missam Pontificiam frangere possent. E. G. à discrimine V. & N. T. à Remotione cause ob quam fit sacrificandū, à dissensionibus & contradictionibus Papicolarum: & multis aliis innumerabilibus: quæ omnia quia chartula nostre angustia perferre nequit, jubet nos hic Placido quiescere.*

Et sic cum Babylon Missa
rejecta jacet.

SOLI DEO GLORIA.







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

REGII
MENTIS

ima sexta

SA.

HOVA
IDIO

S MEISNERI

Magnifici p.t.
IS.

examinandam

ZIMMERMAN

fnicus.

horis pomeridianis
ditorio.



R G Æ,
IS GORMANNI,

© XX.0